

Q.N. 358, 22.

X 1862248

II n
1075


IIIX. g. 6a. II. mod. 2

XX. g. 6a. I. m.



Schem: I. ad §. XX.

Schem: II. ad §. XXII.



DISSERTATIO ACADEMICA, ²¹²⁷
DE
CHIROMANTIAE
VANITATE,

Quam

FAVENTE DIVINI NUMINIS AUXILIO,
*Amplissimi Philosophorum Ordinis
Consensu,*

IN INCLYTA ACADEMIA REGIOMONTANA,
ad disputandum proponunt

P R A E S E S

M. CHRISTOPH. SCHULTZ,
Regiom.

Et

R E S P O N D E N S

PETRUS CHRISTIANUS Engelbrecht/
SS. Theol. & Philos. Stud.
Neugudâ Sengallus,

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM
Horis consuetis,

Anno MDCXCI. die XIX. Augusti.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

54

I. N. F.

§. I.



Ale ut plurimum est ingenium humanum, ut libenter eos audiat, qui se vel non omnibus manifesta ac recondita, vel eventura enunciaturus, profitentur. Si quis olim majora, quam sapientia humana pateretur, assequi voluit, illi hoc consilium dedit Socrates, ut divinationi operam daret, dicebat enim, eum, qui sciret, quibus indiciis, Dii hominibus aliquid significant, nunquam à consilio Divino destitui posse. vid. Xenoph. L. IV. Memor. Ardua sane res est, quæ humanam fere transcendit sortem, prævidere futura. Non enim ut facile legere præterita, præsentibus frui, ita perinde, qualia sint futura, prædicere licet. Interim non penitus impossibile est, ex præsentibus & præteritis, conjecturam facere, de futuris. Ratio quippe præteriti scire futura facit. *Non aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum profint, quam à præteritarum rerum exemplis*, inquit Dionys. Halicarnass. L. X. c. 58. Historia, præter diversas utilitates, quas præstat legentibus, non infima esse iudicatur, ut Vatem reddat, qui, quæ futura sunt ex iis, quæ præterierunt, conjicere possit. Similis enim mundus theatro maximo, ubi ferè semper eadem agitur Comœdia, non nisi mutatis personis.

§. II.

Diversi autem sunt modi, quibus antiqui, futura prædicere, consueverant. Divinationes species *prima*, spiritualis dicitur, quæ in Ecclesia usitata, & proprio nomine Prophetia designatur, quorsum referuntur scripturæ vaticinia, miraculis ac eventibus certissimis confirmata. *Secunda* appellari solet naturalis, quæ naturas rerum conditarum intuetur, & observa-

A 2

tione

tione causarum physicarum, futuros effectus, quodammodo prædicit. Huc pertinent medicorum præfagia de ægrotantis constitutione, morbo & sanitate, vita ac morte, ex certis iudicantium signis. *Tertia* communis sive popularis est divinationo, quæ imperitis vulgò in usu, in primis Rusticis ac Agriculis, qui non anxie inquisitis causis naturalibus, sed ex iis solum, quæ ut plurimum, eodem modo evenire, iisdem antegressis signis notarunt. Ex his, canones seu regulas fecerunt, unde de tempestatum conversionibus, frugum ac fructuum provenitu, interdum satis feliciter divinant. *Ultima* divinationis species est Diabolica, quæ ope ac auxiliò Satanæ fit. Is enim multarum rerum cognitione instructus, hominibus arcana & occulta nonnulla manifestare potest.

§. III.

Hujusmodi vaticinia edidit Dæmon, vel per *Oracula*, utpote Jovis Hammonis, itemque Apollinis Delphici, vel per *Pythnicos & Pythonissas*, vel per *Magos*, qui futura prædixerunt per *Necromantiam*, *Lecanomantiam*, *Gastromantiam*, *Crystallomantiam*, *Hydromantiam*, *Aeromantiam*, &c. Vel per *Aruspices*, qui ex avibus & avium volatu, garritu ac tripudio pullorum, vaticinia edebant. Hos egregie elusit in expeditione Regum Asiæ ad mare rubrum, Eques aliquis Judæus, nomine Mosollamus (quem Eusebius Misonianum dicit) Sagittarius & Miles, inter reliquos Græcorum & Barbarorum præstantissimus. Cùm enim Aruspex peteret, ut totus exercitus staret, Miles hic interrogavit, cur substitissent omnes? ostendit Vates avem, quam intuebatur, dicens: si expediret eis ut manerent, staret avis, si verò ea surgens antè volaret, procederent, sin post tergum iret, recederent. Is verò clam Sagitta transfodit avem, & conversus ad alios dixit; quomodo nesciens salutem, nobis de nostra certum quid significare potuit?

2129.

potuit? Futura enim si novisset, nequaquam huc venisset, metuens ne sagitta interimeretur. Factum recitat Josephus L.I. contra Appionem ex Hecatæo. Conf. de simili materia Valer. Max. L. VII. Sabell. L. VII. *Ennead.* IV. Alias adhuc divinationum species explicarunt D. Balthasar Meisnerus in *Phil. Sobr. Part. II. sect. II. c. II. p. 554.* D. Frid. Balduin. *Cas. Conscient.* L. III. c. VI. pag. 573.

§ IV.

Ad secundam divinationis classem, quæ naturalis, (ab aliis artificialis) dicitur, etiam Chiromantia refertur, cujus beneficio Artifices ex lineis, in manu hominum positis, ac fictis planetarum tuberculis, sive montibus, quæ hominis complexio, qui affectus, quæ vita, quæ fortuna, se cognoscere posse arbitrantur. Quantum illæ valeant prædictiones explicabimus. Ne in limine error committatur, ea quæ ad controversiæ statum, rite formandum faciunt, erunt præmittenda. Quemadmodum non omnis probanda Chiromantia, sic nec simpliciter damnanda, quod olim fecit Petrus Primodajus in Academia Franciæ die primo c. IV. p. 2. concl. 2. Usitata pariter & veritati consentanea est distinctio Chiromantiæ, in Physicam & Astrologicam; Physica, per lineas & manus partes, considerat ipsam corporis temperiem, & ex illa, aliquo modo, animi indagat propensionem, quæ adeo improbanda non est. Physiognomia considerat faciem, ac aliarum partium, totius capitis, pectoris, pedum, ac manûs constitutionem, de qua Aristoteles, peculiarem scripsit librum. Adamantus Sophista præcepta de hac arte, usu ac observationibus comprehensa, tradidit. Videatur Hippocrates L. II. de Morbis Popularibus. In ipsa Scriptura Sacra passim Physiognomiæ reperiuntur fundamenta: Faciem bonam, boni cordis vestigium, dicit Syr. c. XIII, 32. Conf. c. XXVII, 25. Prov. c. VI, 17. c. X, 10. c. XVI, 30. c. XVII, 24. c. XXI, 4. Eccl. VIII. 1.

§ V.

Gregor. Nazianzenus Oratione IV. in Julianum, qualis
 is futurus esset, ex Physiognomia descripsit hoc modo: *Neque
 enim boni mihi quicquam significare videbantur, crura minime
 firma, humeri, quos subinde agitabat & attollebat, oculis va-
 gus, & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles
 & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta
 ridicula, idem significantia, risus protervi & exastuantes, mu-
 tus & renutus omniratione carentes, sermo barens spirituq; in-
 tercisus, interrogationes precipites, & imperita responsiones, his
 nibilo meliores.* Aristoteles experimento probat, dari notiti-
 am physiognomicam, quia illi, qui inter certum aliquod ani-
 malis genus versati sunt, ut plurimum ex forma, bona vel mala
 dignoscere possunt, nempe Venator canes, Eques equos, adeo
 ut in tali iudicio vix fallant. Franciscus Valesius, etiam leges
 civiles, interdum ex Physiognomia, petere fundamenta scri-
 bit, ut si duo homines inciderint in criminis suspicionem, is
 primum torqueatur, qui sit aspectu deformior, de Sacra Philo-
 sophia c. XXXII. p. 217. Interim certiora sunt, quæ de brutis
 prædicuntur, quam de hominibus, quia illa præter naturam
 nihil habent, in hominibus vero, ad formandos mores, præ-
 ter Dei gratiam, educatio ac disciplina reperitur, inde fit, ut
 interdum mala signa, corrigantur vitæ bonitate, bona vero,
 propter institutionis neglectum, facto non respondeant. Mens
 humana, aliquoties simulationum tegitur involucris, & qua-
 si velis quibusdam obtenditur; natura, frons, oculi, vultus,
 persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissimè. Mox sub huma-
 na effigie, ferinus latet animus, imo feris severior atque im-
 manior. Natura autem ipsa, quæ corpora conformat ani-
 mis, instrumenta etiam eis idonea subministrat, ac animorum
 imagines per illa lucere, & ingenia deprehendi voluit.

§. VI.

Hanc sibi Physiognomia in genere tribuit sortem, quam & pars ejus Chiromania physiognomica experitur, quæ probabiliter ex causis naturalibus secundum manus constitutionem ac linearum dispositionem futura conjicit. Illam explicat & probat Aristoteles L. I. de Historia Animalium c. XV. & XXX. sect. X. *Problemate XLIX.* D. Frid. Balduin. l. c. p. 597. Conradus Vimpina L. de signis c. X. Martinus Delrio in *Disquisitionibus Magicis* L. IV. c. III. *Question. V.* Chiromantia autem Astrologica est, quando Chiromantæ, palmam manus in certos colliculos, areolas, & lineas dividunt, areolis planetas singulos, lineis astra præficiunt, horum denique astrorum & planetarum, vulgo creditos effectus, ipsis areolis ac lineis manûs adscribunt. Ex his vaticinia colligunt, vanissimo conatu, de hominum moribus, vitæ genere, statu felici ac infelici, nuptiis, persecutionibus, atque insidiis corporis, ac animæ passionibus, ac tandem mortis genere, quæ omnia tanta veritate promittunt, ut nunquam se errasse in his prædictionibus credant.

§. VII.

Hanc artem defendit Johann. Taisnier in Epist. Dedic. Oper. Mathem. Ille enim Mathematicas disciplinas in primo gradu necessitatis deprehendi scribit, & inter illas Chiromantiam locat. De utilitate ac usu hujus artis dicit, Medicis ac Pharmacopolis notitiam hanc, non minus necessariam esse, quam panem quotidianum. Jucundam pariter cognitionem esse confirmat hoc modo: *pulchrum profecto est ex manuum lineamentis, infirmitates quascunq; præteritas, præsentis, & futuras non modo prædicere, sed & medicamentis, ac medicina remediis, futuros dolores & morbos avertere, ut si qui sint lethales, leviorib; medicina remediis, & minorib; expensis leniantur,*

B

fin



2172.

sin ming, omni medicamento curentur. Adeò certa esse huj9 cognitionis principia docet, ut ipse Christus hac arte fuerit usus, cum Physiognomiæ non parum tribuerit, imo ex oculis totum hominem judicaverit. In Absolutissima Chiromantia, quam edidit annò 1562. fol. 8. Bartholomæus Cocles de se ipso gloriatur, hanc se habuisse artis hujus notitiam, ut nullò modò errare potuerit. L. VI. Chiromantiæ, quæ typis descripta est anno 1476. in folio. Certam hujus notitiæ rationem, adeo ut scientia sit perfectissima, omnibus modis defendit Antonius Verderius L. IIX. *Variarum Lectiõnum* c. 9. D. Joh. Rothmanus se vaticinia, ex montibus ac lineis in manu, sufficienter, fundamentis Scripturæ Sacræ, ac experimentis certissimis probasse putat, in Chiromantia Theorica Practica, quam publici juris fecit anno 1595.

§. IIX.

Chiromantiam, omnibus hominibus necessariam esse, scribit M. Joh. Prætorius, sic ut iis summam conferat utilitatem. Ridicula fere sunt, quæ habet in Ludicro Chiromantico p. 599. *Nota quod ars etiam equestris, non benè, absq; ulla linearum, Chiromanticarum notitia, comprehendiqueat;* Ita enim Joh. Käyser in *ἰππομαντῆ* fol. 189. Demnach gebühret dir den Zaumen in der lincken Hand zu fassen / dergestalt / daß du zwischen beyden Zeuglein / allewege den kleinen Finger habest / und die völlige Hand also führest / daß der Berg Veneris, sambt der Linea vitæ, das ist / die Linie des Lebens den Sattel biegen / der Daum aber auff beyden Zügeln gewand gegen die rechte Hand / &c. Idem, neminem magnum dici posse putat, nisi Chiromantiæ instructus cognitione p. 601. Hinc passim mundi luminibus obtrudere solet, artis hujus peritiam, quibus neque per somnium vaticinia ex lineis in manu nota fuerunt. Agm. IIX. l. c. p. 676. inquit:

inquit : Marcus Tullius Cicero fuit etiam Chiromanta. Cicero enim est quasi Rifer / sic & Marcus est quasi Märcker / qui adspicit & animadvertit manus. Hanc vanam dicimus artem ejusque vanitatem sequentibus ostendere annitemur.

§. IX.

Futura sane contingentia, hominibus, incerta sunt omnia, & ut plurimum, ipsis præter spem, contingunt; accidit in puncto, quod vix speratur in anno. Possunt addiscere mortales ædificandi artem, colendi agrum, rem domesticam administrandi, quis verò fructum sit percepturus, licet egregiè agrum conferat, nescit; Qui domum in optima ædificat forma, ignorat quis eam sit habitaturus:

Τίς γδ οἶδε ἡμῶν τὸ μέλλον ὅ τι παθεῖν
Πέπωθ' ἐκάσῳ τῶν φίλων.

Nostrum quis novit quid futurum est, aut quid eventurum amicis, fata decreverint, inquit Antiphanes apud Athenæum L. II. p. 60. Gentiles saniores omnem futurarum cognitionem Diis adscripserunt, hinc licet intelligere potuissent nonnulla de mortis hora, ac de felicitate humana, tamen piaculum esse crediderunt, inquirere in hujusmodi res, quas Deus hominibus manifestare noluit:

Tu ne quaesieris scire (nefas) quem mihi quem tibi
Finem Dii dederint, Leuconoe nec Babylonios
Tentaris numeros, ut melius quicquid erit pati.

Ait Horatius L. I. Oda II. vers. i. Vid. Turnebius L. XI. c. 28. Licet interdum hanc sibi aliquis tribuerit potentiam, ut futura prædicere tentaverit, eventus autem ipsum vaticinium refutavit. Quis est, qui futurorum sibi scientiam vendicet, non oportet sortis sit, qui jubente Deo canat, non eodem contentus sit utero, quo imprudentes nascimur, quandam imaginem DEI præferat, qui jussa exhibeat Dei --- futura nuntiant, plerosq;



2174
dixerunt victuros, & nihil metuentes, oppresit dies. Aliis
dedere finem propinquum, at illi superfuerunt, inquit Seneca
Suafor. Quart. conf. Justin. L. XII. c. 13.

§. X.

Præter Deum neminem scire futura contingentia, docet
Caspar Schottus: Si quis talia vel talia habet signa, mori debet
veneno, ergo planeta, qui talem effectum operatur, non in illo,
qui moritur, est, sed in illo, qui venenum daturus, operatur. At
quis credat astra in manu mea exprimere, quod alius est factu-
rus? Præterea vel libere alter venenum porriget, vel necessario,
hoc secundum, non modo falsum, sed impium & hæreticum est
dicere; primum autem à nullo nisi à solo Deo, & cui Deus reve-
lare voluerit, prædici certo potest, revelasse autem id Deum Ra-
bulis istis, qui Chiromantiam exercent, plus quam stolidum est
credere. in Thaumaturg. Physic. L. IIX. c. 3. In hac vita homini
nihil certius morte, cui enim nasci contigit, huic mori restat.
Gentiles olim multos coluerunt Deos Deasque ac inter illas &
mortem, cuius potentiam Parcarum collegio designarunt.
Interim reliquis Diis sacrificia offerebant, morti vero nihil.
Causam hujus istam reddiderunt, quod mortem inexorabi-
lem esse cognoverint, nec sacrificiis placari posse crediderint.
Hinc nec altaria ei ædificarunt, nec hymnos cecinerunt, ut
refert Esquilius Poeta Græcus. Hora tamen mortis & termi-
nus vitæ maxime incertus est. Certum est, quia morieris, sed
incertum quando, aut quomodo, aut ubi, quoniam mors ubiq;
te expectat, tu quoque si sapiens fueris, ubiq; eam expectabis,
inquit Bernhard. in Meditat. Devotiff. Meditat. III. de Digni-
tate Animæ. Conf. Euripides in Alcesto v. 783. Horat. L. IV.
Oda 7. v. 17. Interim Chiromantiæ, fictæ artis beneficio, vi-
tæ terminum prædicere audent.

§. XI.

237

§. XI.

Scit Diabolus multa futura propter diversas rationes, quas collegit Augustin. L. de Divinatione Dæmonis, interim omnia prædicere, non potest, Dei in primis consilium, penitus ignorat; Hinc de futuris rogatus, sæpe responsiones dedit ambiguas, atque obscuras, ut Interpres Interprete indigeat, & fors ipsa referenda sit ad sortem. *Satan, quia peritissimus est, naturâ & experientiâ longâ doctissimus, potest aliquando prædicere effectus, cum causas eorum naturales instrui videt, sed eos plerumq; ambigue prædixit.* Notum est Pyrrhi oraculum; *Ajo te Æacida Romanos vincere posse.* Item Crasi illud, quod esset invasurus magnum imperium, si contra Cyrum pugnaret. Hæc & alia verè sanatica sunt, ut in fraudem inducant homines, & aliquam Divinitatis opinionem colligant, inquit B. Lutherus, Expositione in c. XLI. Esaia. Aliquando rem ex parte novit, nec tamen integre, tunc vera falsis miscet, ac fallit incautos, ubi simul justô Dei judiciô, hominum credulitas pœnas luit. *Diabolus etiam cum prædicit vera, multa tamen immiscet falsa, interdum etiam per imposturam ea, quæ ignorat ipse, aut quibus nihil subest veri, cultoribus suis obtrudit, quemadmodum Sauli prædixit, ipsum & filios suos secum futuros. I. Sam. XXII. 19. inter filios autem Saulis erat Jonathan, vir pius, in quem Diabolus nullum habebat jus.* inquit Balduinus l. c. p. 436.

§. XII.

In manu Dei, hominum habetur fortuna ac omnis salus, initium ac terminus vitæ, ut patet ex Psalm. XXXI. v. 16. Psalm. ~~CXXVI.~~ v. 16. Hujusmodi autem signa, nec videre nec intelligere valet, peritissimus licet Chiromanta.

In manibus propriis, non est mea forsq; salusq;

In manibus Domini, forsq; salusq; mea.

ait Petrus Winstrupius in Epigramm. L. III. Conf. D. Michael

B 3

Walther

2176,

Walther de Prætensa Ethnicorum salute. Item de Animæ
Immortalitate p. 34. Johan. Conrad Baderus in Epigramma-
tibus Epigramm. XLI.

In manibus Domini mea fors, mea mors, mea vita est.

Sapientes olim nec ex manu, vel aliis signis, licet promptissi-
ma occasione, futura scire desiderarunt, hâc ferè ratione mo-
ti; Vel bona vel mala sunt ea, quæ prævidentur, si bona Va-
tes prædixit, nec tamen eveniunt, summa oritur tristitia, quod
prospera spe jam possessa, amiserit, si contra mala quis prædi-
xerit fata, licet non eveniant, tamen metus futuri, frustrane-
um efficit dolorem, qui præsentibus bono animo frui non
permittit. *Aut adversa eventura dicunt, aut prospera, si dicunt
prospera & fallunt, miser fies frustra expectando: si diversa di-
cunt & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si vera respon-
dent, eaq; sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies, ante-
quam è factò fias, si felicia promittunt eaq; eventura sunt, tunc
plane duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fa-
tigabit, & futurum gaudii fructum, spes tibi jam defloravit.
Nullo enim factò, utendum est istiusmodi hominibus res futuras
presagientibus, inquit Phavorinus ap. Gellium L. XIV. c. I. Post-
quam Tycho de Brahe, Rudolpho II. insidias prædixisset, Im-
perator ultro confessus est, quod post vaticinium Astrologi,
per omnem vitam, nec lætum viderit diem. Optima in hanc
rem verba sunt Senecæ: *Quid dementius, ait, quam angi futu-
ris, nec se tormento reservare, sed accersere sibi misérias, & ad-
movere, quas optimum est differre, si discutere non possis --- ca-
lamitosus est animus futuri anxius, & ante misérias miser, qui
solicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usq; perma-
neant. Nullo enim tempore conquiescet, & expectatione futuri,
præsentia, quib; frui poterat, amittet -- nihil enim est miserius,
nec stultius quam prædimere, quæ ista dementia est, malum suum
ante-**

217

antecedere. Denique ut breviter includam, quod sentio, & istos satageos, ac sibi molestos describam ibi, tam intemperantes in ipsis miseris sunt, quam ante illas. Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quam necesse est. Epist. LXXIV. & XCIIX.

§. XIII.

In actionibus externis, civilibus ac moralibus, dari liberum arbitrium, egregie probavit Aristoteles L. III. Ethicorum c. 6. deducens illud, partim ex actionum principiis, quæ nostri sunt arbitrii & potestatis, partim ex fine legum, libertate enim sublata, frustra sancirentur, partim ex facto legislatorum, qui injuste bonis præmia, malis autem supplicia decernerent. Quare & in nostra potestate, virtus erit & vitium, quippe cum ea actiones, quibus virtuti assuescimus præelectionis sunt, & in potestate nostra. Jam si bonum agere in potestate nostra est, etiam non agere in potestate nostra erit. In quibus enim non agere, in iis quoque agere, & si ut bonum agamus, quod bonum est, in nostra potestate est, etiam ut non agamus, quod turpe est in nostra potestate erit. Et si ut malum non agamus, quod bonum est, in nostra potestate est, etiam ut malum agamus, quod turpe est in nostra potestate erit. Hæc autem sunt, quæ bonos nos efficiunt aut malos, ex quo apparet esse in potestate nostra, ut probi simus aut improbi, inquit Andronicus Rhodius in Paraphrasi ad Aristotelis l. c. Si actiones hominum fatali necessitate adeo forent determinatæ, ut non nisi unum eligi posset, frustra foret omnis adhortatio, cum ea, quæ absolute decreta sunt, mutari non possint. Nihil igitur prodest, si hortemur cum ad ignem aliquis est, ut calefiat, cum fame laborat, ut esuriant, cum molestia aliqua afficitur ut doleat, & tristetur. Nam id sine ulla adhortatione & incitatione necessario consequitur. Unde efficitur, ut ea, ad quæ incitamus, atque hortamur, in nostra potestate sint; cum ergo ad virtutem amplectendam, fugiendumque vitium incitemur,

temur, in nostra potestate esse utraque, manifestum est. Docet Eustratius Commentario in Aristotelem L.III. Ethicorum c.V. Conf. Jamblich. in Oratione Adhortatoria ad Philosophiam c. III. Si verò lineæ in manu inevitabilem aliquem prædicerent casum, omnis tolleretur libertas arbitrii; Homo vitæ curriculum, in carcere quasi absolvere cogeretur, nec adeo dissimilis foret, aviculis cavæâ inclusis, quibus saltitare, per virgulta, quidem conceditur, verum ut liberò coelò alas suas explicent, potestas illis denegatur; imo fatuum Stoicorum fatum hoc facto introduceretur. Stante libero arbitrio, Astrologum scire non posse futura, probat Benedictus Pererius L.III. de Divinationibus Astrologicis. Incertæ sunt actiones hominum, antequam in actum deducantur, inde non nisi incerta formari debent vaticinia. *Mors per sæpe significatos eventus antevertit, ut intuitum sit, vel polliceri vel negare futura. Ideo Chiromantia magis fortuita, quam necessaria speculatur, quæ si vera loquimur, tota est inanis & ambitiosa, ac impostore digna*, ait Julius Cæsar Bulengerus de Ratione Divinationis L.III. c. XXIX. fol. 220.

§. XIV.

Nullum porro fundamentum, hujus vaticinii certum, etiam ab Artifice, tradi potest; Exempla singularia, quæ adducuntur à nonnullis, nullam faciunt inductionem perfectam, sed eadem facilitate, quâ adducuntur rejici valent, quia in contrarium plura exstant documenta. Potissima in hac arte argumentandi ratio, manifestam ostendit consequentis fallaciam; Quia unus vel alter impiè vixit, & has vel illas in manu habuit lineas, ergo & quilibet qui similes in manu lineas gerit, etiam impius erit. Sed unde constat, tale signum vitam describere malam? Talis concludendi modus, parum differt ab illo, baculus stat in angulo, ergo pluet. Johann. Taisnier ne sine fundamento aliquid dixisse videatur, rationes addit, cur

212

cur lineæ has significationes habeant, cur hic vel ille planeta, certum sibi elegerit montem. Verum artem hanc à fundamentis suis disjecit Caspar Schottus sequentibus: *Si queratur cur pollici, aut Saturnum, aut Venerem aut Martem potius assignent, quam alium quemlibet erronem, vel nihil quod respondent, habent, vel non nisi ridicula in medium afferunt. Johan. Taisnier. L. II. Chiromantie c. 1. ait mons pollicis, merito Veneri dicatus est, quod experientia sæpissime notavi. Quid oro fortius, in hoc mundo potest esse amore? Veneris ligulis, etiam fortissimi & sapientissimi succubere, ut Hercules, Simson, David, ceteriq; infiniti, amoris igne, & Veneris ligneis impliciti fuere. Vides certo Lector, quam festucaria & stupea, sit hæc Taisneri ratiocinatio. Idem certe, de Sole & Jove, dicere potuisset. Idem diceret Cardanus, de Marte, cui pollicem attribuit. At quam affert rationem Alchindus, qui pollici tribuit Saturnum, frigidum & elumbem senem? Tandem valde frivolum, si non stolidum est, dicere eum, cui stella Martis v. g. dominatur (demus id contingere) & in cujus manu, Martis linea, aut mons præ aliis elucet, ad illa vel vitia vel facta inclinatum esse, quibus infamis fuit Mars, dum viveret, cujusque nomen stellæ Martis, indiderunt veteres, eodem jure, quo Jovis aut Sclis, aut etiam birci, canis, simia nomen indere eidem potuissent. L. IIX. Thaumaturgi Physic. Syntagmate II. c. 1.*

§. XV.

Cùm olim Antonius Picciolus (seu Raptus Renovatus Cenetensis Jctus, qui de manus inspectione libros 3. scripsit anno 1587.) Chiromantiæ principia examinasset, totam hanc artem, meras esse nugas, & futiles tradere insanias, ultrò confessus est. Etenim, inquit, si harum positionum rationem reddere velint, nostri speculatores, nonne venereas vires in pollice, & martios influxus in triangulo commentos dicent, quia

C

sic

2140
sic superioribus placitum est? Quapropter quis non videt, sicuti
jovem iudici, ita eundem auriculari, adscribere potuisse? Con-
clamabunt hic forte non disputanda, sed credenda esse, quarum-
cunq; artium, vel scientiarum principia; At me hercule princi-
pia omnia stabilia sunt, & immutabilia, & semper eodem mo-
do, ad affectus se habentia, quæ quidem, quomodo in supra dictis
possit reperiri, si diversimode constituti, ad idem tamen produ-
cendum, habilia remanerent; hinc est, quod de eorum quoq; si-
tu, autores ipsi dissentire non dubitent. c.IV. Chiromantiæ p.16.
Rationem & fundamenta artis hujus, imprimis desiderat, Fran-
ciscus Baconus Baro de Verulamio, ac inde vanitatem ejus
constringit: Si quis hic, ait, Chiromantiæ meminit, sciat rem
esse prorsus vanam, & in hujusmodi sermonibus, quos tracta-
mus, nec dignam quidem quæ nominetur -- harum enim artium
errorem, non alia ratione nobis impugnare, necesse est, nisi ea
ipsa, quod deficiat videlicet omni ratione. --- Omnes ultra con-
jecturas, & experientia observationes, tradere queunt nihil.
Non esse autem conjecturis illis, & observationibus, ullam ve-
ritatis regulam, ex eo manifestum est, quia figmenta sunt vo-
luntaria, & super quibus, ipsi etiam equalis doctrina, & auto-
ritatis Doctores, non concordant. L.III. de Augmentis Scientia-
rum c.VI. Conf. Ludovicus Willichius in Theatro Diabolorum
p.236. M.David Stumpffius in Erklärung der fürnehmsten Zau-
ber-Greuel/ L.I. c. XI. p.53.

§. XVI.

Artis hujus sapientissimi fatentur, licet in manu, reperia-
tur malum aliquod signum, tamen propter diversa accidentia,
posse impediri effectum signi, interim non mutantur in manu
signa, quo ex fundamento aliquis colligeret, rem se ita vel
aliter habere? Taisnier recenset exemplum Socratis, quod
aliquando à Physiognomo, impudentiæ & impudicitia, fuerit
nota-

2141

notatus, ac perditæ libidinis, cum alias esset continentissimus ac vitæ integerrimæ, ipsum tamen Socratem, libere fassum esse, naturam ejus plus æquo in Venerem esse propensam, interim studio ac rationis ductu, effrenes motus mitigasse L. I. c. 1. Factum illud cum diversis circumstantiis, recenset Cicero L. de Fato. Alexander Aphrodiseus L. de Fato c. IV. Aristoteles X. Ethicorum c. 10. tribus fere modis hominem fieri bonum asserit, natura consuetudine ac doctrina, quod hætenus experientia abunde edocuit. De Stilphonte recenset Cicero (quem Ficinus L. IX. de Immortalitate Animæ c. IV. Alciphonem Megaricum dicit) quod naturam alias vitiosissimam, correxerit doctrina. Xenocrates, Demosthenes, Cleantes, & alii, naturæ impedimenta, labore ac exercitio emendarunt, adeo ut miracula ferè exstiterint mundi. Hi verò qui ex signis futura prædicunt, non nisi naturales intelligunt inclinationes, ut exemplo Zopyri & Socratis constat, quæ variis conditionibus mutari possunt.

§. XVII.

Inter diversas utilitates, quas Chiromantia præstare creditur, etiam hanc Artifices recensent, hominem prævenire posse malis, & prævidere talia, si imminet morbus, applicare medicamenta, si aliud aliquod malum, prudentia declinare, cum tela prævisa minus noceant. Vid. Robertus Fludt Chiromantiæ L. I. c. 1. quia ergo sæpissime effectus impediri potest, signa autem uno eodemque modo se habeant, nullum prædictionis restat fundamentum, cum Chiromanta nesciat, an aliquis mala præterita evitaverit, an futura prævisa nocere possint. Pari modo se res habet, si signa reperiantur in manu, quæ felicitatem prædicunt, cum verò non debite se gesserit, frustra talis speraret felicitatem, quod fortunæ suæ obicem posuerit. Vaticinia Chiromantarum potissima, sunt de futuris, præsentia

enim & præterita, sine lineis alicui nota sunt, de futuris autem ex Artificum sententia, certa dici non possunt, cum interdum accedant signa, quæ olim nondum visa, de quibus Cardanus tradit. *Oriuntur subinde nova signa, (Et etiam novæ lineæ) antiquis abscedentibus, novos successus significantia, ideo non erit necesse, deficiente signo periculum deesse,* prout refert Caspar Schottus l. c. Syntag. II. L. IIX. c. 2. Clarissimi inter Chiromantas suadent, primò locò, de longitudine vitæ, esse inquirendum, cum frustra foret ejus examen, de aliis conditionibus, ac moribus, nisi constaret, ejus vitam eò se extendere, ut constat ex Nicolao Pompejo, Taisnier L. V. c. 1. Verum si certa hujus prædictionis fundamenta, nulla esse deberent in manu signa illorum, quibus vita non conceditur adeo spatiosa, ut illa eveniant, quæ in manu sunt posita. Hinc propter fundamentum incertum, non nisi incerta, formanda sunt judicia. Nec propter figuram in manu, quæ longam denotat vitam, ideo homo ille de vitæ suæ longitudine certus esse potest, cum diversa sint accidentia, quæ terminum talem ex principiis Chiromanticis positum, evertere possint. Sæpe citatus Taisnier, qui licet se aliis omnibus in hac arte palmam præripuisse gloriatur, interim hac de re caute loquitur: *Visi sunt aliqui, qui naturaliter potuissent pervenisse, ad annos solares, seu chronicos, variis tamen modis fuerunt impediti, infirmitatibus vulneribus, laqueo aut alia vi, ex qua talium hominum dies abbreviantur. Propterea non est temerè judicandum, quia constituit Deus terminos ejus, qui præteriri non poterunt, qui in lineamentis aliquo modo videri possunt, sed non dicitur, ideo non possunt, tempus vitæ anticipatione abbreviare, si natura inclinationibus non resistent, propterea in judiciis, observanda est ratio hominis, Et temperata vitæ ab homine intemperato.* L. I. c. V.

§. XIX.

§. XIIX.

Ex his vanitas vaticinii Chiromantarum clarissime patet. Si enim observatur hominis ratio, & vita temperata, ac intemperata, etiam sine lineis in manu visis, futura prædici possunt. Furem suspendi debere, certius colligitur ex furto, quam ex linea, gulosum ac scortatorem vitam sibi ante tempus præscindere, melius constat ex vita inordinata, quam linea vitæ. Imo cum in sensus non semper incurrat, ratio hominis, & improbæ actiones, ut plurimum sine teste peragantur, nec præsupponi poterunt in vaticinio chiromantico. Si fundamenta Chiromantiæ certa forent, omnis hominis actio, & ejus ratio, ex lineis cognosci deberet, non ex usu observari. Hujusmodi homines, quorum manus signa exhibent vitiosa, ad justa trahi deberent supplicia, signa adulterii gladio, furti laqueo, tolli possent, non opus esset inquisitione criminali, si manus inspectio talia expediret. Hujus sententiæ fuisse videtur M. Johan. Prætorius, qui Chiromantiæ usum, ad Jctos extendit, dum facinus aliquod ex signis aliquando conjicere cogantur in Chiromantia p. 596. Contingit ut illi, qui diversas in manu habent lineas, & fortunæ ac infortunii signa, interim æqualem experiantur sortem; In bello mors, maximam hominum rapit copiam, qui nulla hujusmodi in manu observarunt signa. Multi in aquis pereunt, in primis in bello navali, quibus in manu mons lunæ, nullum prædixerat periculum. Nec est, ut excipiant, generalia cedere specialibus, ac generalia, nempe in tali vaticinio, semper debere excipi. Si enim ita se res haberet, in omni manu, de quovis casu, generalia forent præsupponenda, quæ specialioribus omnem denegant certitudinem.

§. XIX.

Autor vetusti cujusdam codicis Chiromantici, quem
 C 3 typis

10415
XIV
pis describi curavit M. Prætorius l. c. p. 243. Tale Chiroman-
tiæ fingit fundamentum, quod nempe animæ mutationes, &
corpus imiteretur, corporis autem passio, non nisi in facie &
manu, deprehendi possit. Verum si illa ratio valeret, lineæ
in manu, non nisi præsentem statum hominis, describerent,
atque sic nulla, de rebus futuris, colligi possit prædictio. Non
enim mutatio corporis & linearum, antecedit animæ muta-
tionem, sed illam sequitur. In omni fere manu, reperiun-
tur lineæ, quæ contradictoria prædicunt, modo longam vi-
tam promittit una, alia vero linea brevem, imo brevissimam
significat; Mox unum signum, notat honores, ac divitias, a-
lia signa contrarium ostendunt, paupertatem nempe atque
contemptum. Quamcunque ergo aliquis sibi natus imprimat
fortunam, in lineis promissam, in aliis contrarium of-
fendet. Andreas Tricassus Casariensis, (Martin. Delrio in
Disquit. Mag. hunc Tricassium dicit) qui artem hanc cum
permultis experimentis, publici juris fecit, anno 1560. proprio
exemplò modo dicta confirmat. Testatur enim se habuisse
lineas principales tres, optime dispositas, Hepatis nempe, Vi-
tæ, ac Mediam Naturalem, adeo ut ex his sibi optimam, & sa-
tis prolixam, promittere potuisset vitam, interim Mensalem,
non satis bene comparatam animadvertit, atque ex hac sola,
cum ageret 34. annum, 23. morbos habuisse, ut refert D. Baltha-
zar Summerus in Chiromantia c. XXI. circa finem. Risum mo-
vent, quæ Joh. Taisnier l. c. l. II. c. VII. p. 30. de significationibus
linearum, in monte Jovis tradit. *Joviales, inquit, à plurali-
tate linearum, in monte Jovis, facile dignoscuntur -- si laici fue-
rint, multos habebunt filios.* Ac si post decretum Papæ, quo
clericis conjugia interdixit, tales non haberent clerici lineas,
vel significationem eam esse mutatam. Innocentius VIII. Pa-
pa Romanus, licet clericus, tamen secundum vaticinium, mo-
do

do nominati Chiromantæ, in monte Jovis, copiosas habuisse creditur lineas, cum Marulus de eo scripserit:

Octo nocens pueros genuit, totidemq; puellas,

Hunc merito poterit dicere Romæ patrem.

His & aliis documentis ostenditur, potissimos inter Chiromantas, in hac arte probanda, succumbere, nec levisimum huic subjicere posse fundamentum. *Chiromanticorum error, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licet eo ipso illos expugnet ratio, quia deficiunt ratione.* Inquit Joh. Saresberiensis L. II. Polycrat. c. XXVII. fol. 68.

§. XX.

Ulterius nec Chiromantæ in ipsis conveniunt principiis, non enim uno modo lineas, earumque significationes tradunt. Nec circa montium definitiones, idem sentire didicerunt. Usitata fere est sententia, quæ montes hoc ordine distribuit, ut pollicis tuberculum Veneri, indicis Jovi, medi digiti Saturno, annularis Soli, auricularis Mercurio adscribat, spatium in manus feriente Lunæ, in vola manus Marti tribuat, ut ex Schemate I. constat. Hanc planetarum & montium distinctionem, D. Johan. Rothmannus, sequentibus descripsit versiculis:

Est pollex Veneris, sed Jupiter indice gaudet,

Saturnus medium, Sol medicumque tenet.

Hinc Stilbon minimum ferientem candida Luna

Possidet, in cavea Mars sua castra locat.

Idem, ordinem hunc experientia confirmasse scribit: *Ego ut facilius me expedirem, cœpi in primis observare, homines Venerios, id est jocosos, venustos, hilares, agiles &c. apud hos, pollicis regionem, signis plane decentibus pulchrisque notis ac characteribus insignitam, deprehendi, idque non sine natalitia Veneris luxuria, sive sub propriis prærogativis, in cœli loco competenti collocata, sive obtutum optabilem alterius erraticæ obtinentis.*

Idem

2744

Idem studium mibi fuit de Mercurio, relicta est igitur Marti cavea. In Chiromantia Theor. Pract. p. 2. Hac in parte cum illo faciunt Albertus M., Bartholomæus Cocles, Johan. Taisnier, Tricassus, Andreas Corvus qui Chiromantiam in octavo Argentorati anno 1533, edidit.

§. XXI.

Interim alii, non inferioris autoritatis Chiromantæ, experientia & rationibus moti, contrarium defendunt. D. Balthasar Summerus, (qui suo tempore in hac arte adeo celebris fuit, ut pretii loco in collegiis Chiromanticis à quolibet auditorum X. Imperiales acceperit, teste Prætorio in Chiromantia p. 494.) pollicis montem tribuit Marti, auricularis Veneri, triangulum Mercurio. Hujus facti causam reddit his: *Nos moti arte, ratione, experientia & autoritate, secuti sumus Antiochum Tibertum Cesenatem & Hieronymum Cardanum, rectius ac cum Astrologorum, & Ptolomei principis sentientes, sicut res ipsa luce clarius, id in progressu demonstrabit.* in Chiromantia c. II. de digitorum montibus. Hujus sententiæ est Anonymus aliquis, in Chiroscopia, qui aliquot adductis rationibus probat, in digito auriculari non esse montem Mercurii, sed Veneris, contra volam manus adscribi debere, non Marti, sed Mercurio, quia exinde de eruditione, ingenio, sapientia judicium fieri debeat. Vid Prætorius l. c. p. 309. 310. Verum nec hac divisione contenti, alii alias adhuc excogitarunt. Alchindus, antiquus Chiromanta, sub pollice, Saturni descripsit montem. Alii in manu sex solum reperiri montes dicunt, ita ut in medio manus, cavea Martis, in digito autem medio, montem ejus describant, nullamque Veneri in manu relinquunt sedem. Johannes ab Indagine & Lunæ & Marti locum in medio manus tribuit, qui aliis cavea Martis dici consuevit. Ex diversis his principiis, non nisi diversa, imo contradictoria fluunt vaticinia

245

ticinia, quæ vanissimum arguunt Vatem. Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Balduinus: *Chiromantæ colliculis manuum singulis præficiunt planetas, & de characteribus illis impressis, ea pronunciant, quæ sunt nature planetarum. Pollicis tumulo alii Martem, alii Venerem tribuunt, sub indice Jovem, sub medio Saturnum, sub annulari solem, sub auriculari Venerem, alii Mercurium collocant, tuberculum manus, lune dedicant, sed absque ulla causa naturali. Ex his postea vanò conatu, oracula petunt, de hominis fortuna, moribus, studiis vitæ genere, nuptiis, morbis denique & genere mortis, quibus predictionibus, licet qualicumque particulari experientia nitantur, nihil tamen tribuendum est.* l. c. p. 598.

§. XXII.

Recepta opinio est eorum, qui in Physiognomicis aliqua tradiderunt scriptis, lineam Vitalem, quæ in Schemate II. Num (1.) depicta, si brevis sit, brevissimam denotare vitam, interim alii inter Chiromantas, qui signa certissimis probare solent exemplis, dicunt, lineæ vitalis brevitate, paupertatem & infortunia notare, & deceptiones, quas homo à propriis servis & alienis pati cogatur. Vid. Taisnier. L.V. c. IV. Non sanè adeo brevis est vita, si hanc aliquis agat ætatem, ut proprios alere possit servos, & quidem in paupertate. Lineam Saturninam, (2) aliqui felicitatis salutare solent, adeo ut si à Rascetta incipiat, & in monte medii digiti finiat, felicitatem promittat summam, & nato & ejus posteritati. *Saturnina si bene constituta, omnem felicitatem & nato & ipsius posteris pollicetur,* inquit M. Andreas Otto in Anthroposcopia p. 218. Verum aliter tradunt hujus lineæ significationem, etiam non infimæ fortis Chiromantæ. *Est præterea linea in*

D plu-

pluribus manibus, quæ à carpoper volam mediam extendi-
 tur, Saturnina vocatur, quam quidem prosperitatis, sed
 male appellant. Nam qui eam habent, sunt laboriosissi-
 mi, & difficultatibus plurimis conflictantur, scribit D. Bal-
 thasar Summerus in Chiromantia c. XXII. Verum probe
 notandum, nec hunc sibi constare autorem. Modo enim
 aliud, de linea Saturnina fert iudicium: *Linea Saturnina*
plena, integra, ad medium protracta digitum, tum cogita-
tionem perfundarum, tum etiam felicium eventuum, in
consiliis & actionibus, argumentum est. c. XXIII. §. 8. Satur-
 nina, à Rascetta per palmam extensa, ad radicem medii, a-
 varitiam significat inquit Taisnier L. V. c. VI. Avarus sane
 adeo felix esse non solet. Porro dicit: quando multæ lineæ
 in medio, plus quam alibi, præsertim quando linea Saturni-
 na, à Rascetta, ad eundem locum perveniat, paupertatem,
 & in continuis laboribus, semper versari, notare, cum angu-
 stis, adeo ut multi etiam principes à Dominio fuerint pulsi,
 L. V. c. IV. Si in monte Saturni lineæ copiosæ, ita ut Saturni-
 na, à Rascetta se eò extendat, modo paupertatem, modo
 avaritiam significare credit. Illa tamen simul stare vix pos-
 sunt, cum avarus proprie pauper non sit. Modo carceres
 denotare lineam saturninam, quæ à Rascetta ad radicem Sa-
 turni tendit L. V. c. XV. fol. 258. 260. Modo cholericos & me-
 lancholicos indicare morbos, putat fol. 282. Modo inimiciti-
 as & jacturas, penitus promittere, fol. 301. Modo cogitabun-
 dos cum maleficio, & profani ingenii homines notare fol.
 311. Modo hominem probum, negotia sua, feliciter indies a-
 gentem, & ad mortem usque virtutis amatorem & ingenii
 magni hominem, fol. 323. Modo longa itinera, cum gravibus
 jacturis describere fol. 342. Jam odium & Parentum ingrati-
 tudinem ostendere fol. 371. mox animum vulpinum, occul-
 tum

2147
tum & maleficum, cui fidendum non sit, manifestare scribit fol. 380. Hæ significationes diversissimæ, imo contrariæ sunt.

§. XXIII.

Liberorum copiam quærit Taisnier in monte Jovis L. II. fol. 30. Vid. Schem. II. Num. (3) Propter nævum in manu, aliquem probat Parentem multorum liberorum, Autor vetusti alicujus codicis Chiromantici, in Exordio. Robertus Fludt Lineas rectas, in indice inter juncturas (4) notare prolis multitudinem dicit: c. XIX. *In medio digito & quidem in condilo (5), si mulier quinque vel sex habuerit lineas rectas, significare filium pariturum, qui summus futurus sit Sacerdos*, scribit Nicolaus Pompejus Chiromantiæ c. XXX. Idem c. V. ubi ex professo de liberis agit. Liberorum multitudinem modo in indicis junctura secunda, modo in medio articulo, modo in lineæ vitalis, parte superiori, modo in media naturali, modo in junctura prima, auricularis digiti (6), tandem in monte Mercurii (7) quærit. Michael Watson in Unione Sapientia, in parte extrema manus, quot lineæ rectæ, in latere auricularis digiti reperiantur, tot alicui liberos promittit Sect. III. c. XIX. §. 9. Alii ex linea mensali (8) idem colligunt, nempe in fine quot ramos observant, tot liberos prædicunt. Vid. Joh. Mich. Jenige, Professor Gymnasii Lüneburgensis, postea à consiliis Regi Daniæ, in Chiromantia Galenica, M. S. sect. I. c. IX. in Appendice Novarum Observationum, Numer. II. & IX. Joh. Rothmannus, qui in Dedicacione Chiromantiæ, hanc sibi tribuit laudem, quod primus Chiromantiam experimentis confirmaverit, numerum liberorum in articulo medio indicis (15) ex lineis rectis colligi debere docet l. c. §. 20.

Alii pueros ex lineis rectis in digito auriculari, (6) foemellas in annulari (9) digito quærunt. Verum si omnes illæ in diversis locis colligantur lineæ, tanta sæpe liberorum emergit copia, quibus alendis vix Princeps sufficeret. Maxima pars Chiromantarum, lineas matrimoniales locat in dorso manus, prope montem Mercurii (10) unde de conjugum numero oracula petunt, vid. Godofred. Schleicherus Disp. de Chiromant. c. II. §. 8. Chirosopia antiqua sine Autore divulgata thesi XV. Johan. Mich. Jenige l. c. c. XVI. de Lineis Matrimonialibus. His contradicit Joh. Rothmannus, qui cuncta experimentis probasse putat, verum ex lineis illis, de numero conjugum, nihil colligi debere fatetur, cum totum hoc negotium ad Venerem spectet, ejusque dispositionem. Chiromantiæ Pract. c. XXIII.

§. XXIV.

Nonnulli lineam Mediam Naturalem (11) dicunt Hepaticam (12), contra verò alii Hepaticam esse Cephalicam (13) scribunt, ut ex *Chiromantia Pompeji Fludti* constat. Conf. Moldenarius in *Chiromantia* L. II. c. XV. §. 1. M. Otto in *Anthroposopia* L. II. c. XIX. Joh. ab Indagine, *Introductione in Chiromantiam* editionis in folio anno 1541. c. II. Goclenius in *Physiognomia & Chiromantia speciali* c. II. Hippus L. I. Physicæ c. XLIII. Rothmannus l. c. p. 1. Aliqui inter Chiromantas ex tempore fieri posse judicium, de singulis in manu lineis, statuunt, cujus sententiæ est Taisnier L. V. Præfat. fol. 206. Vid. Nicolai Pompeji *Chiromantia*, ex editione H. S. p. 19. (editione Prætorii p. 13.) Aliis idem penitus impossibile videtur, adeo ut dementis hominis esse existiment, qui ex tempore, de vita ac fortuna, judicium ferre velint.

Joh.

219

Joh. ab Indagine l. c. fol. 3. Lineas in manu, & de futuris & de præteritis exhibere signa, putat Taisnier. Contra Balthaf. Summerus in Chiromantia c. 1. scribit lineas, præterita significantes, evanescere, quod ex Cardano probat L. de Rerum Varietate fol. 981. Ideo fieri putat, ut in pueris plures inveniantur lineæ, quod futura adhuc prædicant, imo Chiromantiæ studiosum, unâ inspectione, ad unicum ætatis annum, assequi negotium non posse, cum certo ætatis tempore, lineæ in manu ampli-entur, coarctentur, palleſcant & denuò reflorescant. c. XXIII. §. 10. Ex qua manu hominis potissima fieri debeant vaticinia, incertum adhuc est, apud Chiromantas. Nicolaus Pompejus p. 24. cum Tricasso hanc tueretur sententiam, inspiciendam esse dextram his, qui die, sinistram verò illis, qui nocte nati, num verò aliquis die natus vel minus, colligi posse putat, ex qualitate linearum; Si aliquis felices, & magis conspicuas, lineas habeat in dextra, hunc die natum esse judicat. M. Andreas Otto l. c. p. 121. inde tempus nativitatis colligi posse negat, sed præsupponit inquirendum, an aliquis die natus sit.

§. XXV.

Diversitatem judicantium, quantum ad tempus & manus, descripsit D. Summerus: *Sunt quidam, qui judicare volunt, non nisi certis diebus, & temporibus anni. Volunt enim, quod dextra viri, inspiciatur in vere & æstate, die Solis vel Jovis, sinistra verò mulieris, in autumno & hieme, die Veneris. Alii autem & magis authentici, faciunt banc diversitatem, in manibus & ætatibus, volunt enim quod tam viro, quam mulieri, respiciatur dextra -- similiter volunt, quod manus infan-*

2150,
tum respiciantur non aliorum', & quod in pueris appa-
reant signa manifesta & non deleta per laborem, frigus,
agritudinem, ut non est in nobis, & isti quidem bene senti-
unt. De manus Physiognomia Conclus. 8. Alii ma-
nus infantis, ante quartum ætatis annum, alii ante sextum,
inspici non debere docent; quia illa demum ætas, à
Luna gubernari creditur, ut refert Picciolus c. II. L. II. p.
26. Contradicit his Cocles, cum aliis qui etiam in in-
fantis manu, lineas observari posse tradunt. Ex his con-
tractionibus, certissime colligitur, artis hujus principia,
esse ficta, quæ hanc vim non habent, ut opinionem, mul-
to minus scientiam, alicui procreare possint. Sentit no-
biscum, Caspar Schottus in Thaumaturgo Physico L.
VIII. c. I. de fundamentis Astrologicorum Chiroman-
tarum, illorumque vanitate: *Precipua, inquit, Chiro-
mantarum fundamenta, non modo debilia, sed omnino
ficta esse, ex hoc unico, sufficientissime & irrefragabiliter,
colligi potest, quod summa etiam ejus scientiæ seu vanita-
tis potius capita, & Antistites, inter se non conveni-
ant, in assignandis locis planetarum, quod revera si-
gnum est, non ratione, sed arbitrio illos duci in iis assi-
gnandis. Et certe ratione duci non possunt, probabili-
saltem, quoniam fieri nequit, ut idem locus pluribus, &
inter se prorsus inimicis, planetis conveniat, quod ex
iisdem ejusdem loci signis, diversa & contraria, præ-
dici possent.*

§. XXVI.

Lineam Vitalem, Mediam Naturalem, & Men-
salem, in omnium hominum manu, semper extare
docet Joh. ab Indagine l. c. p. 14. Interim in modo se-
quentibus dicit, lineas has, in Rusticorum manibus,
propter

217

propter continuos labores, non inveniri, quæ manifestam ostendunt contradictionem, nisi forte Rusticos, homines esse negaverit. Imò falsam esse illam hypothesein, Rusticos non habere principales illas in manibus, probat M. Joh. Prætorius sequentibus. *Plerique Coloni & Operarii, etiamsi durissimum callum, manibus suis inobdlexerunt, cæterasque lineas, propemodum omnes eradicaverunt, oblitterarunt, seu potius sepelierunt, vix unquam filum vitale, vitare quiverunt, quominus illam, uno eodemque loco immotam, & evidentem relinquere coacti fuerint.* p. 724. Michael Watson l. c. dicit lineas, ætatis successu, cute obduci Sect. III. c. XIX. p. 327. quam sententiam alii rejiciunt. Ex mensura digiti auricularis, diversa ferunt judicia, Chiromantæ. Si enim non attingat juncturam supremam, annularis digiti, (vid. Schem. II. n. 14.) spurios dicunt, Conf. Summe- rus c. L. Nicol. Pompejus c. XXX. Julius Cæsar Bulengerus de Ratione Divinationis L. III. c. XXIX. fol. 219. Item partum septimestrem, sive gemellos. Robertus Fludt in Chiromantia ait: *Auricularis digiti, brevitatem tantam, ut suâ summitate, non attingat, ultimam juncturam medii, uxorem indicare, per omnia imperiosam.* Illa omnia, in uno subjecto, vix unquam concurrunt, & tamen uno eodemque signo notantur.

§. XXVII.

Præter modo nominatas rationes, variæ adhuc adduci possent, partim ex Scriptura S. de Divinationibus in genere, ac in specie de Chiromantia; partim ex profanis auctoribus, quas tamen omnes explicare, instituti ratio non fert. Capita nonnulla argumentorum tradidit Casp. Schottus l. c. Quæ thesi probata conclu-
sionis

218.
sionis loco adduci mērentur. Vana ergo est Chiroman-
tia Astrologica, quia (1) à viris cordatis & res quasli-
bet sincero iudicio trutinantibus pro tali habetur. (2)
quia ab Agrippa, à quo merito tutamen expectare de-
buerat, contemnitur, & pro delirio habetur, (3) quia
ipsimet Zingari, qui eam vel maxime exercent, lucri
gratia, fidem ei nullam adhibent, & mihi multi Rome,
viri fœminaque ex iis, quos Zingaros ibi vocant, Catho-
lici tamen sunt, & una in platea, simul habitant, di-
versisque artibus, ac subinde etiam Chiromantie operam
dant, fassi sunt (4) quia nulla ratione, nulla certa &
solida autoritate, nullis firmis experimentis constat, cer-
tis digitis, certisque volæ manus regionibus, attributos
esse certos planetas, qui hominum morbis, moribus, ca-
sibus variis, negotiis, itineribus & similibus præsent,
rariosque eventus per varios linearum positus, & signo-
rum apparentias, denuntiant, quæ enim ratio esse queat,
quod experimentum ostendat, aut Venerem aut Satur-
num aut Martem, soli pollicis ejusque colli & non aliis
præsidere? Illis solis & non aliis dominari? quis tam
angustis finibus, imperium ejus conclusit? Idem dicen-
dum, de aliis regionibus manus, aliisque planetis. Quæ
præterea autoritas id persuadeat, cum Cardanus fatea-
tur libros, qui antiquis attribuuntur, eorum minimè
esse.

§. XXVIII.

Ne tamen immerito, vanitatis incusari videantur
Chiromantæ, probata jam thesi, thesi, etiam in con-
trarium, illorum argumenta, discutienda erunt. Cer-
tissimum hujus artis fundamentum in S. literis reperiri
putant; in primis locum Job. XXXVII. v. 7. adducunt, qui
ex

213
ex versione Tremellii ita se habet: *Manum cuiusque ho-*
minis obsignat, ut recognoscat omnes operarios suos. Eo
ipso, artificium in genere, confirmari credunt. Gocle-
nius part. 1. Aphorismo 12. inquit: *Et si hoc dictum varie,*
ab antiquis & recentioribus Theologis explicetur, imprimis
verò à contemptoribus Chiromantia, misere interdum
torquetur, tamen si ad linguæ sanctæ originem respicia-
mus, quemadmodum hac de re, doctissimos Hebræos con-
sului, aliter non, quàm de Chiromantica artis usu, vel signi-
ficatione intelligi potest & debet. Johan. Rothmannus
locum Jobi, non nisi de Chiromantia agere, probat ex
textu originali, versione Græca LXX. Interpretum, edi-
tione latina Hieronymi, & ex Chaldaica translatione, imò
ex antecedentibus & consequentibus, non alium sensum,
quam de lineis in manu hominum, erui posse, scribit in
Chiromantia p. 14. Conf. Joh. Taisnier *Absolutissima Chi-*
romantia fol. 6. & 13. c. III. *de Autoribus Chiromantia* c. V.
de Particulari Cognitione Chiromantia fol. 18. Christoph.
Castrus Jesuita L. I. *de Vaticinio* c. XX. Christianus Mol-
denarius in *Chiromantia* p. 114. 115. M. Hippius L. I. *de Na-*
tura c. XL. Qui locum citatum Jobi pro Chiromantia
facere putant.

§. XXIX.

Nos theologica, Theologis examinanda relinqui-
mus. Attamen certi sumus in S. literis nullum esse Chi-
romantiæ præsidium, quod passim probant hi, qui con-
tra detorsionem hanc Scripturæ Sacræ, locum Jobi ex
professo vindicarunt. D. Abraham Calovius in *Bibliis illu-*
stratis ad locum citatum Jobi. Johan. Michael Dilherr.
tom. 1. *Disput. Academic.* p. 762. D. Augustus Pfeifferus
in *Dubius Vexatis.* D. Friedlib. in *Medulla Theologia de Cre-*
atione

215
atione Quæst. 27. D. Geier tractatu de Superstitione c. III.
D. Johan. Conrad Danhauer Auctuario Questionum Mo-
ralium Quæst. IV. Tarnovius in Exercitationibus Biblicis
p. 349. Sixtinus Amama in Anti-Barbaro Biblico L. III. p.
432. Ludovicus Dunte Casibus Conscientia de Creatione
Quæst. X. M. Andreas Pruckner in Vindiciis Biblicis Part. I.
fol. 226. Part. II. fol. 222. M. Bernhard Waldschmid in
Pylhonissa Endorea p. 180. ubi simul probat, Chiroman-
tas non inepte dici Planeten-Leser / cum partes manus,
planetis subjecerint. Camerarius Centur. II. Hor. Subci-
piv. c. III. p. 10. Franciscus Valelius de S. Philosophia c. XXII.
Georgius Hornius in Historia Philosophica p. 285. Pineda
Comment. in Jobum. Joh. Mercerus in l. c. Jobi. Martinus
Delrio in Disquisitionibus Magicis c. III. Quæst. V. Alios
præter hunc Scripturæ locos, citare solent Chiromantæ,
ad quos facete pariter & erudite respondit M. Joh. Con-
rad Dietericus in Antiquitatibus Biblicis fol. 412. In sub-
sidium opinionis sue, vocant alia scriptura dicta, in quibus
Phrasis signare in manu, vel similis occurrit Exod. XIII. 9.
Proverb. III. 16. c. XII. 21. Psal. XXXIX. 6. Psal. CXIX. 109.
Esa. XLIX. 16. Verum idem vitium, Chiromantie Patroni,
cum Lupo Æsopico commune habent. Nam sicut ille, ad
singulas Alphabeti literas, ovem ingeminabat, sic ubi illi
signare in manu, similesque phrasas reperiunt, ocus ad
suum accommodant, institutum Chiromanticum, non at-
tendentes, quicquid Spiritus S. propriè in iis locis inten-
derit. &c.

§. XXX.

Palmarium Chiromantarum est fundamentum, li-
neas earumque significationes, confirmari experimentis.
Taisnier propriâ confessione, infinitis propemodum ho-
mini-

minibus, utriusque sexus, elapsos fortunæ casus significa-
vit, futura prædixit, atque sic eos ex maximum vitæ peri-
culo liberavit, omnia tanta veritate expedivit, ut nun-
quam ipsum fefellerit iudicium. Vid. Dedicatio Chiro-
mantia. Item L. II. c. 27. fol. 52. 53. L. VI. Artis Verifica-
torium dixit, ubi experimenta nonnulla descripsit. Hac
ratione motus M. Fabian Hippus L. I. de Natura c. XL.
hunc Taisnier artis Chiromanticae, facile Principem ap-
pellavit. Cardanus, Vir subtilis & pereruditus, L. II.
de Rerum Varietate c. LXXIX. variis documentis, artem
hanc confirmavit. Joh. Ristius Vir Celeberrimus, Chi-
romantiam propriis probavit experimentis. Inprimis
notatu dignum varicinium, quod formavit homini, cui
nomen Otto Wehling. Cum enim in manu eius, &
quidem in monte Mercurii, patibuli observasset for-
mam, suspendendum hunc fore, prædixit, quam prædi-
ctionem, approbavit eventus. Verba eius sunt:

Ich schweige / was sich sonst mit andern zugerzigen.
Nur dieses schreib' ich / was ersch' u vor wenig Tagen
An einem / der sein Grab hoch in den Lüfften fand /
Der hatt' ein Griechisch T recht in der linken Hand.

Im Poetischen Schau = Plaz p. 94. Conf. H. Adörfferi
Erguet = Stunden Tom. III. Part. X. Problemate XXX.
P. 576. 577.

§. XXXI.

Verum ordine solvenda erunt omnia. Autoritas
Taisnier, tanta non est, ut probationis loco valere pos-
sit. Hippus hunc Principem artis dicit, quem D.
Summerus inter Chiromantarum vulgum ponit c. II.

2154
Chiromant. Gabriel Naudæus, in Bibliograph. Polit.
p. 121. Joh. Taisnier Plagiarium dicit insignem, & im-
pudentiorem Horatii cornicula, qui Bartholomæi Co-
clitis Bononiensis, integrum librum convasavit, ac in
suum opus mathematicum transtulit. Nicolaus Cabe-
us Italus in Philosophia Magnetica L. I. c. 6. itidem hunc
plagii accusat, quod Petrum Peregrinum Gallum ex-
scripserit. Exempla, quæ adducit Joh. Taisnier exe-
crandas fabulas, dicit Caspar Schottus in Physica curio-
sa L. XII. c. 6. p. 1295. quas non minus impie quam stu-
pide commentus est. Experimenta ejus utique simpli-
citer approbanda non sunt, cum auctor non per omnia
sit fide dignus, imo nonnulla manifesto falsa sint. In
manu militis alicujus, certissima observavit suspendii si-
gna, hunc suspendendum prædixit, qui tamen à pati-
bulo liberatus. Vid. Experimentum VII. fol. 401. Ali-
quando contingit, ut per accidens, prædicta eveniant,
verum unum vel alterum exemplum, nullam facit regu-
lam; *Una hirundo non facit ver* inquit Aristoteles I.
Ethic. c. V. Plura sane in contrarium essent exempla
erroris, si modo pari ratione notassent Artifices. Ni-
côcles olim felices dixit medicos, quod illorum succes-
sus, *Sc* intueretur, errores autem terra tegat, ut re-
fert Anthoninus Part. I. Serm. LVI. Melis. Maxim. Serm.
L. Hanc sibi Chiromantæ parant felicitatem, qui raris-
sima veritate, infinita sæpe tegunt mendacia, quemad-
modum de Apollinis templo bene dicta celebrantur
memoriter; *errata nemo recordatur. Multa tentan-*
do, incidunt repente, imprudenter in veritatem, aut
ipforum, qui eos consulunt, multa credulitate ducente,
perveniunt callide ad ea, que vera sunt, & id circo vi-
dentur,

2111

dentur, in præteritis rebus, quam futuris veritatem facilius imitari. Ista tamen omnia, quæ aut temere, aut astute vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, pars ea non fit millesima, inquit Phavorinus apud Gellium L. XIV. c. I.

§. XXXII.

Solent interdum hujusmodi vaticinia, adeò ambigè proponi, ut quomodocunque res cadat, tamen prædictionis veritas, defendi possit, vel adeo generalia prædicuntur, quæ ut plurimum eveniunt, v. c. hominem habere inimicos, ac insidiatores, sine his enim, vix aliquis mortalium vivit. Multa mala sustinuisse in juventute, non sine molestia gradum honoris occupare posse, acutissimos imminere morbos, & nisi impediat ipsa mors, talia enim quivis sanus, sine lineamentis in fronte & manu, conjicere valet. Huc faciunt verba, quæ ipse Joh. Taisnier tradit, ubi informat Vatem, quomodo prædictio legitimè institui debeat; *Et si extra propositum videatur progressa fuisse oratio, auferendi dubii causa, id actum est, ne aliquando Cbironanticus desperet, de aliquo individuo, utrum moriatur nec ne? sed debet dicere, tali anno, mense &c. talis est proclivis, ad infirmitates aliquas, etiam graves & dubias, non nisi mortis periculo, & non dicere absolute de morte, quia aliquando indicando indicantes falluntur, propter occultas individuorum proprietates, à celo causatas.* L. V. c. 2. Tale iudicium non fallit, si enim tempore prædicto, morbus accidit homini, verissima prævidit, si non eveniat morbus, dicendum occultas proprietates, effectum sustulisse, hujusmodi sane artifex errare nescit. Nemo beatus ac felix nisi com-

1715
2176,
parate, hinc quamcunque aliquis experiatur sortem,
explicari valet, in utramque partem. Dives aliquis &
pauper, esse potest simul, sed diverso respectu; fortu-
natus, propter hunc vel alium fortunæ casum, infelix
propter damnum, quod interdum felicissimus sustine-
re cogitur. Sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta
malis, quamcunque ergo aliquis prædixerit fortunam,
si modo favorabilis accedat interpretatio, veritate non
destituatur Vates.

§. XXXIII.

Nonnulli observant hominis alicujus mores, at-
que naturam, num sit cupidus honoris, an divitiarum,
num majorem habeat libidinem, in armis militaribus,
quam in scortis, vel contra. Interdum ex libidiosa
colligunt eloquentia, hominem hunc vel alium, inex-
stinctæ esse libidinis. Ex hujusmodi & aliis observatio-
nibus, formant vaticinia, quæ ut plurimum eveniunt,
non tamen lineis talia tribui possunt, adeo ut hac de re
erudite scripserit Benedictus Pererius, multos divinare
futura, magis ex prudentia, & usu rerum, quam arte;
*Quidam sunt, ait, qui perspectis, quorundam hominum
temperamentis, & affectionibus corporum, studiis itidem,
exercitationibus, institutis, familiaritatibus, denique
virtutibus aut vitiis, multa eventura eis prævident, ipsis,
que magna asseveratione & autoritate prænuntiant, ac
plerumque divinant --- ad hoc genus divinationum per-
tinet, si quis prædixerit hominem frequentissimum in
furtis ac rapinis, suspendio periturum. L. III. de Divinat.
Astrolog. c. III. p. 195. 196. Ut plurimum infimæ sortis ho-
mines, his vaticiniis alimenta sibi acquirunt. Ipse Joh.
Taisnier in prognosticis Chiromanticis, quæstum fecit,
cum*

2157
cum enim alicui prædixisset, hunc olim fore Abbatem,
conqueritur quod nihil lucri inde acceperit L. VI.
fol. 397.

§. XXXIV.

Polita hac de re habet verba, Polydorus Vergilius: *Illis qui Chiromantiam exercent, egestas semper imperat, qui ut Marcus Tullius L. I. de Divinat. prope finem ait, sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam, quibus divitias pollicentur, ab iis drachmas ipsi petunt. L. I. de Inventoribus Rerum c. XXIII. Vel ut Erycius Puteanus L. II. Epist. 17. scribit:*

*Non enim sunt ii, aut arte divini, aut scientia:
Sed superstitiosi Vates, impudentesq; harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sui questus causa fictas suscitant sententias.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt.
De his divitiis, sibi deducant drachmam, reddant
cetera.*

Omnes Chiromantas semper esse pauperes, adeo ut subinde, ferias esuriales celebrare cogantur, confirmat M. Joh. Prætorius, qui etiam, ut ipse fatetur, hanc expertus sortem, *Chiromantie*, inquit, *per anagramma nâhret mich jo: licet parcè.* Hinc tanquam pro aris & focis pugnat, deberi Chiromantis pretium, pro vaticiniis, ne pauperiores fiant, ac fame pereant. l. c. Sect. X. Judiciaria p. 836. Zingari hac in arte, se aliis omnibus, palmam præripere credunt, qui tamen non nisi furtis & mendaciis, inclaruerunt; nihil his tam occultum, quin revelare se posse, ex lineis in manu prædicant, nihil tam custoditum, quin surri-

218.
surrupere præsumant. Si divinare, idem ac furari quod
alienum, mentiri quod futurum, non pœna malitiæ, sed
præmium ingenio quærendum. Quod Chiromantiam,
attinet, cujus mysticæ scientiæ peritiam, hodie erronei illi
jactitant, præceptis forsân aliquot adhuc retentis, artis
sue opinionem tuentur, mentiendi ac mendicandi artem,
rectissime dixeris. Quamvis mysticæ illæ figuræ, quibus-
dam non otiose videantur lineæ, quippe ab eo penicillo du-
ctæ, qui nihil fortuito facit, -- usu tamen compertum ha-
bemus, nihil nisi aniles esse nugas, mendacia mera, & fa-
bellas, ad expilandos oculos, scrinia & casula insidiosè
usurpari solitas. --- Peccatum grave, contra primum De-
calogi præceptum, reputant canones, & qui in eos com-
mentaria scripsere, si quis Zingaros de fortuna sua per-
contatur, refert Ahasverus Fritschius de Origine Vita ac
Moribus Zingarorum. Conf. Dedekennus in Consiliis
Ecclesiasticis Vol. I. Part. II. p. 927. Arnoldus Mengerling
in Scrutinio Conscientiæ c. V. Casu XIX. D. Lucas Ofian-
der in Act. c. XVI.

§. XXXV.

Sæpe fit, ut Dæmonis auxiliò, homines prædicant
futura, Is enim ex signis & causis, interdum non omni-
bus nota, intelligit. Vid. Cœlius Rhodiginus L. II. Lect.
Antiq. c. XIV. qui ex Augustino probat quinque fere mo-
dis à Dæmonibus futura sciri posse. Exemplum tradit
Caspar Schottus, quod ipsi narravit D. Carolus Vintini-
glia, Eques Panormitanus, de Viro toti Siciliae & Italiae no-
tissimo, qui quondam Pannoniæ, Urbano VIII. Pontifi-
ci, adhuc adolescenti, Pontificatum prædixerat. Idem
aliis hominibus, inspecta solum facie, quæ illis eventura
forent, dixit. Suspectus verò ob rem illam, ab Hispanicæ
Inqui-

217.

Inquisitionis Præfulibus, in carcerem conjectus, mox ve-
ro Pontifice jubente, Romam missus, ubi accepto stipen-
dio liber vixit, tandem cum lecto decumberet, morbum-
que sentiret fatalem, è scrinio scripta quædam extrahi,
& se inspiciente, comburi jusit, quò factò & ars & artis
Magister innotuerunt. Si Chiromantiæ prædictiones,
ideo pro veris haberi deberent, quod has interdum even-
tus probet, tunc etiam vanissima divinationum genera,
quæ ex avium volatu, garritu, speculis, Crystallis, aquâ,
aère, terra &c. pro veris habenda essent, cum etiam va-
nissimæ hæc vanitates, sæpissimè cum eventibus congru-
ant, quos tamen nemo sanus facile probaverit. Ad au-
toritatem Cardani respondit Caspar Schottus: *In primis*
miror vehementer Cardanum, qui alioquin Vir doctus, ac
ingeniosus est, eò inscitia, ne dicam dementia devenisse, ut
fidem præstet, anilibus illis fabellis, quas ex ipsomet retu-
limus. Zingaros, qui se alibi Agyptios, Bohemos alibi vo-
cant, ex variis vagabundis, collectum genus, fidem dictis
rebus adhibere, aut aliis adhibendum, (nam nec ipsimet,
quod dicunt, credunt, nec cur id dicant, sciunt) persuade-
re, mirum non est, quia rudes sunt, superstitiosi & lucro,
quod illis ex nugamentis capiunt, dediti. Idem facere
nonnullos alios, qui scriptis libris Chiromantiam Astrolo-
gicam explicant, atque defendunt, vel tolerandum est,
quia nibilo melioris ingenii sunt, quam Zingarorum sex.
Deplorandum, quia non sanioris fidei ac religionis, at quod
viri docti & ingeniosi eadem credant, vel credere se osten-
dant, minime tolerandum videtur. Nam vana est & il-
licita dicta Chiromantia, & indigna cui non dico scientia,
sed vel improbabilissimæ conjecturæ, nomen attribuatux,

2166.
loquendo semper de Astrologia, & hactenus à nobis ex
aliis descripta Chiromantia c. III. de Vanitate Chiroman-
tia Astrologica.

§. XXXVI.
Ingenui iusum ostendit Ristii observatio, non artis
Chiromanticae confirmationem. In explicatione exem-
pli allati, provocat ad Cardanum, Goclenium, & Joh. ab
Indagine. Interim nemo ex his, talia observavit signa,
in suspendendo. Cardani verba sunt: *Linea in modo pol-
licis manifesta, prænuntiant pericula publica mortis, ma-
xime si jungantur circumcirca, vel intus, & in pauperibus
quidem prænuntiant laqueum, in Divitibus verò, capitis
detruncationem, cum laceratione corporis. Extra verò
solam capitis amputationem. In metacondilo ejusdem,
pollicis significant supplicia, vitia morbos, suspensionem,
capitis amputationem, ignem adulterium, elephantiasin.*
Ex sententia ergo Cardani, si circulares lineæ fuerint, in
metacondilo pollicis, notant hominem, primo suspen-
dendum, mox capite plectendum, tandem igne combu-
rendum. Autor vetusti cujusdam codicis Chiromantici,
quem Prætorius Palmosophiam Veridici dixit, & typis di-
vulgavit, quærit quænam sint suspendii signa, & respon-
det (1) linea arcualis, in junctura pollicis, ab alia arcuali
intercisa (2) Forma spherica, prope unguem pollicis, si
intercinditur à lineola (3) Quadrangulus, in angulo si-
nistro trianguli (4) lineæ principales fractæ & tortuosæ,
plerumque denotant mortem violentam. Vid. Nicol.
Pompejus in Chirosopia Part. II. Sect. II. c. IIX. Evidens
Chirologia Anonymi c. XIV. XVII. & XXX. Nemo au-
tem inter hos, unquam observavit, in monte Mercurii, for-
mam

2167
110

mam patibuli signum esse suspendii, præter Ristium, & hic non nisi in uno subjecto, quomodo ergo universalem formare posset propositionem?

§. XXXVII.

Ulterius, frustra non esse in manibus lineas dicunt. Unde principium ac fundamentum, artis suæ certissimum, capere solent Chiromantiæ. Taisnier L. I. c. IV. de Principiis Chiromantiæ, huic argumento multum tribuit, ac si unicum sufficeret ad Chiromantiæ defensionem. Ast huic dubio facile responderetur, utique Deum & naturam, nihil facere frustra, cum ne prudens quidem homo, aliquid sine fine agat, quis ergo de Deo talia affirmare auderet? Opera autem naturæ sunt opera intelligentiæ supremæ, ut docet Themistius L. I. de Anima cent. XXIIIX. & Averroes L. XII. Metaphys. c. XIIIX. Deum & naturam nihil agere frustra, probavit Aristoteles I. Politicorum c. II. L. I. de Cœlo c. IV. Theophrastus item, de Causis Plantarum, Observatione I. c. I. Interim regula illa extendi non debet, ad res levisimas, quæ ex necessitate materiæ fiunt, & finem non habent, ut in corpore humano, sunt nævi, ac similia. Dicant Chiromantiæ, quid sibi velint lineæ matrimoniales, in manibus eorum, qui de matrimonio contrahendo, per omnem vitam solliciti non sunt? Quem finem habeant lineæ in manibus infantum, qui prima ætate moriuntur? Ex artificum consensu, non omnes lineæ, aliquid notant, sed potissimæ, dantur enim rami, & aliæ lineæ, quæ nihil significant. Licet concedatur, lineas in manu non esse frustra, finem tamen ea-

rum, nobis per omnia notum esse, non sequitur. In multis scimus quod sint, sed ignoramus cur sint. Diversas res existere, quarum causæ nobis non sunt notæ probat Alexander Aphrodisæus L. de Fato, & in Præfatione L. I. Problematum. Qualis porro illa foret inferendi ratio. Lineæ in manu non sunt frustra, ergo hoc vel illud significant. A non distributo ad distributum non valet consequentia. Lineas in manu non esse frustra, attamen non debere extendi, ad fortunæ vaticinia, monet Zeilerus Epist. 461.

§. XXXIIX.

Tandem ad harmoniam provocant, in vaticinio Astrologiæ & Chiromantiæ, quam veritatis argumentum esse credunt. *Amplius confirmatur, quia si Astrologus, cujusque nativitatem consideret, inveniatque illius hominis, futuram bonam fortunam, & ipse Chiromanticus lineas fortunatas, & bene dispositas inveniet, --- Si autem Astrologus inveniat, maximo infortunio natum subjici, & Chiromanticus lineas infortunatas, suo loco reperiet. Iterum si Astrologus, aliquem planetam alicui inimicum, aut infortunatum inveniat, Chiromanticus quoque locum ejusdem planeta, eidem attributum, inveniet infortunatis intersectis lineis, obumbratum.* Infert Taisnier l. c. fol. 15. Verum propter convenientiam cum Astrologia, Chiromantiæ veritas misere defenditur. Talis enim formanda est consequentia, Astrologia judiciaria sæpe falsa dicit, imò sæpissimè, ergo & Chiromantia. Vana est Astrologia, ergo & Chiromantia. Vanitate imò superare Chiromantas Astrologos, probavit Franciscus Vale-
sius:

216

fius: Qui palmas, fictis quibusdam lineis, in partes quasdam dividunt, singulasque tribuunt singulis planetis, & naturaliter innatas lineas, secundum conceptam vulgò opinionem, de naturis planetarum interpretantur, nihilominus vani sunt, quam ipsi Astrologi judicarii, imò eò plus, quod plures positiones accipiant gratis, & sine ulla monstrazione. Illi enim gratis accipiunt, hoc astrum hoc facere, sub illo natis, illud illa: hi addunt, manus hanc aream esse Jovis, illam Veneris & rursus hac illa significare. de S. Philosophia c. XXXII. p. 217.

§. XXXIX.

Falsa sæpe dicere Astrologos, probatione vix indiget. Tantum enim hi mentiuntur, quantum Astronomi metiuntur. Narrat Ambrosius L. IV. Hexamer. c. 7. quod cum in summa siccitate pluvia expeteretur, Astrologum in novilunio, illam certò prædixisse, sed fefellit omnes, vana spes, donec precibus Ecclesiæ institutis, imber effusus esset, ubi vanitas Astrologi confutata, & vis Christianæ pietatis probata est. Fuisse olim Principem in Germania, ferunt, qui cum aulicis venatum egressurus, Astrologum, de aura consuluit, eam serenam, Ille, fore prædixit; egredienti autem Rusticus forte occurrens, pluviam jamjam imminere asseruit, quâ subito obortâ.

*Laudat Aratorem Princeps, illumque docere
Astra, sed Astrologum sumere rastra jubet.*

Audiverat aliquando Diogenes, Astrologum describere
stellas errantes, cui dixit, ne mentiare bone Vir, stellæ

2164
non errant, sed hi, qui ex stellis vaticinia petunt. *Quia plura, inquit Cicero, quotidie refelluntur Chaldaei. Quam multa ego Pompejo, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Casari à Chaldeis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur quemque ex stare, qui etiam nunc credat iis, quorum praedicta quotidie videat re & eventis refelli.* L. II. de Divinationibus. Conf. Augustin. L. IV. Confess. c. II. & III. D. Augustus Pfeiffer in *Dubiis Vexatis* ad locum Jobi XXXVII. 7. item in *Antimelancholico* L. I. c. XXIX. p. 542. Melander in *Joco-seriis* h. 551. p. 538. D. Tobias Wagnerus in *Astrologia Genethliaca*. Seneca in *Libello, cui Titulus Ludus in mortem Claudii Caesaris.*

§. XL.

Nec per omnia bene se habent, quae de convenientia sive harmonia Astrologiae & Chiromantiae, tanta audacia promittit Taisnier. Joh. Picus Mirandula experientia contrarium evincit sequentibus: *Quare dicant mihi, qui ratione ista moventur, putent ne omnem artem divinatricem veram, an multas, & potius vanas falsas? Si multas falsas, probabo ego illas veras, eodem argumento, quare interdum scilicet eveniat, quod praenuntiaverint; Si omnes veras, pugnantia eos credere demonstrabo, quia de iisdem rebus, diversa artes divinatrices, idem non respondent. Expertus enim ego sum saepe, atque centies, cum super eadem questione, figuram mihi & Geomanticam interpunxissim, & Astrologicam delineassem, alium mihi in notis, alium in sideribus eventum apparuisse.* Quod

Quod si quis forte non credat, experiatur ipse, & super
ejusdem hominis fato, consulat Chiromantam, Astrologum
& Geomantam, & videbit fere semper, non idem in manus
lineis designari, quod vel ex notis Geomanticis, vel ex pla-
netis astrologicis, pronuntiabitur, & si eventum rei respi-
ciat, veritatem ibi magis inveniet, ubi minus sperabit; sive
quod ibi plus possit casus, ubi minus est rationis, sive quod
in illis, spiritualis etiam probitas, libentius nos ludificet.
Referente Salzmanno in Falsitate Astromantiæ §. II. In-
terim convenient vaticinia vel minus, inde levisimum,
ducitur veritatis argumentum. Error enim erran-
tis consensu, non corrigitur, nec multi-
tudo errantium, parit errori
patrocinium.

S. D. G.



ax TH 1075

Quod si quis forte non
cognoscit hanc rem
E Germanis et aliis
hanc designari quod vel
reus et logicus pronuntiat
est, et tamen idcirco
quod idcirco per se
in illis, spiritibus et
Christianis Salazaris in
terram convenit et
dicitur veritas arguenda
is cognoscit, non
tunc etiam, pari
parochiam.

2. D. C.



1077

110



Schem: 1. ad



II. ad. §. XXII.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

